

instanti cogitari. Major communis est, et necessaria ad libertatem, quia actus non est liber nisi in eo instanti in quo fit, et ideo necesse est ut pro eodem instanti supponat voluntatem secundum se indifferentem, et in statu neutro, ut Scotus loquitur. Minor quoad primam partem probatur: quia in illo signo naturæ nec intelligi potest culpa commissionis, quia nondum intelligitur voluntas aliquid actu velle, nec etiam omissionis, quia illa negatio quæ præintelligitur in voluntate, in illo signo naturæ non est libera, sed mere naturalis, ut etiam in Deo ipso considerari potest; et ratio est, quia illa indifferentia nihil aliud est quam potestas ad utrumlibet, quæ ex natura sua habet illam indifferentiam conjunctam; ergo illa negatio non potest esse culpabilis, nam omnis culpa libera esse debet. Item illa dispositio præcedit ordine naturæ etiam in illo cui in posteriori signo naturæ datur auxilium efficax; at in eo non fuit culpa, ut est notum; ergo neque in alio cui non datur prædeterminationis; ergo non negatur propter culpam in illomet instanti temporis ordine naturæ antecedentem. Quia, ut dixi, inter illa duo signa non potest medium cogitari, nec ab aliquo Theologo vel Philosopho positum est. Et quidem merito, tum quia in voluntate divina non intelligitur tale signum medium, ergo neque in creata; tum etiam quia ad libertatem actus, vel potentia, id non est necessarium, nec ad aliquam causalitatem in qua fundatur ordo naturæ; tum denique quia in voluntate, quæ movetur per auxilium efficax, inter carentiam determinationis quæ natura præcedit, et determinationem ipsam, non potest concipi status medius voluntatis; ergo neque etiam in voluntate, quæ tale auxilium non habet.

7. Altera vero pars, de culpa commissa in eodem instanti, et in eodem signo naturæ in quo prædeterminatio denegatur, probatur, quia involvit repugnantiam in illa sententia. Nam Deus dicitur negare tali homini prædeterminationem gratiæ propter culpam; ergo necesse est ut ordine saltem naturæ antecedat, quia illa culpa erit causa demeritoria, et ratione illius dicit Alvarez, supra, in illo casu habere locum axioma Theologorum, quod: *Deus non deserit hominem quoad auxilium efficax, nisi prius deseratur ab ipso*; ergo oportet ut culpa, saltem prioritate naturæ, antecedat. Deinde fit hoc evidens ad hominem in illorum auctorum opinione, quia voluntas, in illo instanti naturæ in quo determinatur, non potest se determinare nisi prædeterminata a

Deo, saltem ad realem actum; ergo si in eo signo posteriori naturæ jam peccat, præcessit in illa prædeterminatio Dei ad talem actum; ergo præcessit denegatio auxilii gratiæ prædeterminantis, quia illæ duæ prædeterminationes sunt oppositæ, et ideo collatio unius est denegatio alterius: ergo, sicut prædeterminatio ad actum malum (si datur) non potest dari ob culpam vel malitiam quæ resultat ex actu, ut videtur per se evidens, et in tertio libro probatum, nec etiam potest esse simul natura cum ipso actu, quia dicitur esse principium ejus, ita etiam negatio prædeterminationis gratiæ non potest sequi ex culpa, imo neque esse simul natura cum illa, sed necessario debet ordine naturæ præcedere, quia imbibitur in contraria prædeterminatione, ut declaravi. Quod si quis ibi fingat culpam puræ omissionis, quæ mereatur denegationem auxilii efficacis, facile refutabitur; tum quia talis peccandi modus moraliter non contingit, ut communiter Theologi docent; tum etiam quia illamet supponit carentiam prædeterminationis divinæ ad omnem actum, et consequenter etiam prædeterminationis gratiæ; tum denique quia in illa opinione talis negatio actus non potest esse libera, et consequenter non potest esse culpa, ut paulo antea insinuaui, et in sequenti capite iterum dicam. Et ex his a fortiori concluditur talem culpam non posse natura posteriorem esse. Ergo, si auxilium efficax in prædeterminatione consistit, carentia ejus in homine habente sufficientem vocationem nullo modo potest ex culpa ejusdem hominis redundare, vel illi attribui.

8. *Concluditur necessitatem prædeterminationis non posse componi cum sufficientia proxima auxilii necessarii, respectu illius actus ad quem prædeterminatio desideratur.* — Ex quibus omnibus concludo, tertio, quod in hoc discursu intentum est, necessitatem talis prædeterminationis non posse componi cum sufficientia proxima auxilii necessarii respectu illius actus ad quem prædeterminatio desideratur; tum quia sine tali auxilio non est actus primus completus, tum etiam quia, deficiente illo, desunt vires necessariae ad faciendum talem actum. Item concludo carentiam talis auxilii non posse componi cum sufficientia remota, quia illud auxilium necessarium nec actu recipitur, ut supponitur, nec est ita constitutum in potestate hominis ut ex libertate ejus pendeat, aut possit aliquid facere quo auxilium consequatur, neque illo sua culpa caret, sed sola voluntate Dei. Præterea con-

cludo carentiam talis auxilii non posse componi cum completa libertate quoad specificationem, respectu actuum supernaturalium. Probatur, quia sine auxilio sufficiente non datur libertas, quia non datur potestas sine qua libertas esse non potest. Denique concludo non posse imputari ad culpam homini sufficienter vocato, et non prædeterminato, quod non consentiat vocationi. Probatur, quia sine libertate et potestate, ac sufficientia auxilii, non est culpa. Et declaratur amplius, quia ille dissensus vel non consensus, supposita carentia prædeterminationis gratiæ, non est in se ac proxime culpabilis, quia non est liber, cum ex illa suppositione consensus sit impossibilis; nec etiam remote seu in alio est culpabilis, quia illa carentia auxilii non habet fundamentum in libera voluntate, dispositione, aut culpa hominis, ut late ostensum est. Ergo nullo modo potest talis dissensus, vel carentia consensus ad culpam imputari. Hæc autem omnia nec concedi possunt, nec ab ipsis Doctoribus Catholicis, qui prædeterminationem defendunt, conceduntur. Illationes autem ita probatæ sunt, et responsiones omnes, seu evasiones ita exclusæ, ut intellectum cogere videantur; ergo vel hoc solum fundamentum videtur efficaciter probare talem prædeterminationem non esse necessariam ad pie operandum, consentiendo sufficienti vocationi, ac proinde non consistere in illa auxilium efficax, quod ad omnem piam voluntatem omnemque consensum supernaturalis vocationis necessarium est.

CAPUT XII.

QUIBUSDAM EFFUGIIS RATIONIS FACTÆ OCCURRITUR.

1. *Ex quo principio nitatur Ledesma inferre necessitatem prædeterminationis.* — *Negatur illatio.* — Petrus Ledesma, dicto articulo 10, ad 3, quamvis, argumentis convictus, fateatur hoc auxilium prædeterminans non esse in potestate voluntatis nostræ, media aliqua dispositione libera positiva vel negativa, nihilominus adjungit modum alium, quo dicit maxime declarari difficultatem istam gravissimam; modus autem solum est asserere quod in potestate voluntatis nostræ est consentire divinæ vocationi, et converti, tanquam in potestate subordinata divinæ potestati in genere causæ efficientis, non vero tanquam in potestate prima et suprema. De qua propositione, et de

omnibus quæ ad ejus declarationem postea dicit, nemo nostrum dubitat. Quod autem audire ac intelligere desideramus, est quomodo veritas illa ad solvendum argumentum applicetur, quod ille auctor non facit, sed ex illo principio conatur inferre necessitatem prædeterminationis. Nos autem illationem illam facile negamus, quia, ut voluntas nostra subordinetur divinæ, et consentiat illi tanquam potestas subordinata in genere causæ efficientis, et non suprema, et tanquam secundum liberum, et non primum, ad hoc, inquam, necessaria non est prædeterminatio, sed sufficit dependentia essentialis in concursu simultaneo, cum potestate physica prævia, et indifferente ad consentiendum et dissentiendum, ut in tertio libro declaratum est, et infra in solutionibus argumentorum dicitur. Supponimus ergo subordinationem voluntatis nostræ ad divinam, in qua asserenda non est dissensio, quia illa subordinatio talis est ut non tollat libertatem quoad specificationem; supponit enim in voluntate hominis sufficientem potestatem physicam in actu primo ad se determinandum per eandem potestatem subordinatam divinæ potestati. Ex hoc autem principio, inferimus subordinationem illam non consistere in prædeterminatione, neque hanc esse necessariam ad salvandam illam, quia sicut oportet in Deo supponere supremam potestatem, ita necessaria est in voluntate nostra potestas sufficiens, licet subordinata, qua potestate privatur si prædeterminatio est necessaria, et pro sola Dei voluntate non datur, in quo puncto est difficultas, ad quam nihil dictus auctor respondet.

2. *Instantia prima.* — Addit vero aliqua quæ, ne evidentiam et intelligentiam rationis factæ obtundant, proponere oportet, et an aliquid ad difficultatem solvendam valeant attente inspicere. Primo ergo adducit exemplum subordinationis voluntatis ad intellectum, tanquam ad moventem physice, ut est probabile, quia, non obstante illa subordinatione, voluntas habet potestatem ad volendum, licet sit ita subordinata intellectui, ut nihil possit velle nisi prius prædeterminetur ab ipso. Ad quod respondemus illud quidem non tantum non solvere, sed etiam confirmare et explicare rationem et difficultatem nostram, quia nunc non agimus an hæc prædeterminatio tollat libertatem quoad exercitium necne; id enim in capite sequenti tractabimus; sed inferimus quod, si illa prædeterminatio est necessaria, et non datur, tollitur libertas in carentia actus seu

consensus. Idemque evidenter sequitur in illo exemplo, data hypothesi. Nam si motio seu prædeterminatio intellectus, sive moralis sive physica, necessaria est ad libere volendum, et voluntas ab intellectu non moveatur, impossibile est ut carentia sui actus sit illi libera, quia, licet ipsa habeat suam potestatem volendi, non tamen simpliciter sufficientem sine intellectu, nec etiam est in potestate ejus motio intellectus, loquendo de prima, et ideo, donec actu moveatur vel prædeterminetur (ut ille loquitur) ab intellectu, non est simpliciter libera ad volendum. Hac enim ratione dicunt Theologi ignorantiam antecedentem tollere voluntarium, seu impedire libertatem, et excusare culpam; ergo, simili modo, carentia prædeterminationis cum plane sit antecedens (ut ita rem explicem), id est nullo modo sit a voluntate hominis, plane tollit voluntarium, impedit libertatem, et excusat a culpa.

3. *Instantia secunda.* — Dicit ulterius idem auctor Deum, prædeterminantem voluntatem, non debere considerari tanquam aliquid extrinsecum, sed tanquam magis intrinsecum voluntati quam ipsamet sibi: *Et ideo concursus Dei*, ait, *non est appellandus extrinsecus, cum sit omnino necessarius ad operationem voluntatis.* Unde videtur hic auctor velle quod, ut voluntas hominis dicatur habere in sua potestate prædeterminans auxilium, satis est quod illud sit in potestate voluntatis Dei, quæ intrinsece est in illa, et quod, sicut voluntas se determinando necessitatem sibi non infert, ita etiam Deus, prædeterminando illam, necessitatem ei non infert, et quod, sicut motio intellectus est intrinseca homini, et ideo non necessitat illum, ita et motio Dei est intrinseca.

4. *Evertitur fundamentum hujus doctrinæ.* — Sed fundamentum hujus doctrinæ solum est positum in quodam novo usu vocum, et æquivoco ac inusitato modo loquendi. Unde doctrina ipsa nulla ratione admittenda est. Primum declaratur, quia, licet Deus intime sit in voluntate per essentiam, præsentiam et potentiam, et per gratiam; nihilominus, respectu effectuum quos causat efficienter in voluntate, simpliciter est causa, seu principium extrinsecum. Et ita loquitur D. Thomas in 1. 2, quæst. 9, art. 6, in ipso titulo articuli, quaerens an voluntas moveatur a Deo sicut ab exteriori principio, et respondet affirmando. Idemque dixerat in art. 4, et repetit in quæst. 10, art. 4, et 1 part., quæst. 103, art. 4, ad 2 et 3. Estque per se evidens, quia Deus sem-

per operatur in voluntate ut causa efficiens; at vero causa efficiens, in omni bona philosophia causa extrinseca est, non quia non manere possit in effectu vel subjecto in quo operatur, sed quia non pertinet ad intrinsecam constitutionem effectus. Hinc ergo, quod ad alteram partem pertinet, manifestum est illam intrinsecam præsentiam Dei nihil referre ad explicandam libertatem hominis in actibus gratiæ, supposita necessitate prædeterminationis; quia vero iste auctor eandem doctrinam applicat ad vitandam necessitatem quoad exercitium, de illa parte in capite sequenti.

5. *Quantumcumque cogitetur intimitas Dei in homine, seu in voluntate, semper voluntas Dei est omnino distincta a voluntate hominis.* — Nunc quod ad præsens attinet, ex dicto principio evidentissimum est quod, quantumcumque cogitetur conjunctio vel intimitas Dei in creatura, seu in voluntate, semper est Deus suppositum distinctum, et voluntas ejus est omnino distincta a voluntate hominis, unde non potest dici homo habere in sua potestate ea quæ a sola divina voluntate pendent, nisi quatenus sunt illi promissa ab ipso Deo sub aliqua conditione a voluntate ipsius hominis dependente. Alias etiam damnatus haberet etiam auxilium efficax in sua potestate, quia habet intra se intime Deum, qui potest illud dare si velit; et in potestate mea esset videre Deum, quia sua voluntate potest in me id facere; ergo per illam intimam præsentiam non explicatur quomodo auxilium efficax sit in hominis potestate; ergo nec illa sufficit ad libertatem hominis, sed sufficit ad libertatem Dei, ut iterum in capite sequenti, et de exemplis ibi adductis dicam, quamvis ex dictis tum hic, tum in primo prologemeno, capite 6, satis illis responsum sit.

6. *Alia instantia.* — Pergit auctor ille dicens, auxilium prædeterminans, non tempore sed natura antecedere determinationem ipsius voluntatis, et hoc satis esse ut ipsa determinatio voluntatis et ejus consensus sit in potestate illius. Ad hoc autem dicimus imprimis, in præsentem puncto non tractari quomodo ipsa determinatio voluntatis in actu secundo, seu consensus ipse sit in potestate voluntatis, hoc enim in caput sequens reservamus, sed tractari quomodo prædeterminatio, quam Deus solus in illo priori naturæ facturum est, sit in potestate voluntatis; ad hoc autem nihil refert quod tempore, vel natura tantum, præcedat consensum voluntatis, nam hoc satis est ut ab

ipsa voluntate non fiat, nec ab aliquo usu libero ejus pendeat, et inde aperte infertur non esse in potestate morali ejus, sed tantum in potentia receptiva, quæ non sufficit, ut sæpe diximus. Quocirca illa consecutio: *Prædeterminatio non præcedit tempore, ergo est in potestate voluntatis*, si intelligatur de potestate morali, mala est, quia nullum habet principium in quo fundetur; oportet enim ut supponat hoc universale pronunciatum: *Quidquid non tempore, sed natura tantum antecedit consensum voluntatis, est in potestate morali ejus*, quod falsum est; nam excitatio necessaria et efficax potest antecedere non tempore sed natura, et visio Dei non antecedit tempore amorem, sed tantum natura, et tamen non sunt in potestate morali et libera voluntatis. Si vero consequens illud intelligatur de potestate tantum passiva, et non sufficit ad rem præsentem, et antecedens est impertinens ad illam, quia sive motio voluntatis præcedat consensum ejus tempore, sive natura, semper necessarium est ut ante motionem voluntas sit in potentia passiva ad recipiendum illam. Quapropter non video qua fiducia ille auctor solutionem hanc concludat, dicens: *Hæc solutio est clara, et aperte dissolvit argumentum propositum, quod quidem convincit auctores oppositæ sententiæ*; idque hac ratione suadet, quia, ut argumentum evidenter solvatur, satis est dicere probabilia; sed ista quæ in hac solutione dicuntur sunt maxime probabilia et apparentia; ergo evidenter dissolvunt argumentum. At enim quæ hæcenus diximus, satis, ut credo, demonstrant nihil in omnibus recitatis contineri, quod declaret quomodo prædeterminatio hæc sit in potestate morali hominis vocati, in quo est cardo totius difficultatis. Et ut non disputem an omnia ibi dicta probabilia sint, saltem respondeo, ad solvendum argumentum, non satis esse dicere probabilia, nisi illa ad punctum difficultatis applicentur, et illud aliquo modo probabili dissolvant, quod in omnibus illis dictis non assequimur.

7. *Alia item notanda ejus auctoris declaratio.* — Unde idem auctor, illis non contentus, addit aliam notandam declarationem. In fine enim illius argumenti 3 optime difficultatem proposuerat isto modo: Postquam homo sufficienter vocatus est, nihil potest facere ut Deus inchoet prædeterminationem physicam in illius voluntate: ergo non est in hominis potestate. Respondet autem quod si homo sit constitutus in potentia ad conversionem per auxilium sufficiens, in tali casu potest facere aliquid ut

Deus inchoet prædeterminationem physicam suæ voluntatis. Sed quidnam, quaeso, est quod potest ille homo facere ut Deus inchoet: nam videtur hoc aperte repugnare his quæ idem auctor dixerat, ostendens hominem non posse habere aliquem bonum usum suæ libertatis, quo a Deo prædeterminationem illam obtineat; quia si potest homo facere aliquid ut Deus inchoet prædeterminationem, jam se disponit ad illam, et ad ipsum hominem reducit inchoatio talis auxilii. Item incidit illa responsio in id quod tanquam inconveniens solet nobis objici, quod initium salutis quoad efficaciam sit ab homine, quia ipse inchoat aliquid ut Deus auxilium efficax sibi conferat.

8. *Quomodo explicet quid sit illud quod homo facere possit.* — Ut ergo dictum illud corrigat et explicet, quid sit illud quod homo facere possit, adjungit, dicens: *Nam potest inchoare prædeterminationem ipsam, præsupposita divina prædeterminatione quæ est simul tempore, quamvis prius ordine naturæ et causalitatis.* At profecto non est hoc nodum expedire, sed impedire magis ac religare; quomodo enim voluntas inchoabit prædeterminationem quam ipsa non facit? Aut quomodo facit ut Deus inchoet prædeterminationem quæ est simul tempore, si Deus, in omni genere causæ, prius ordine naturæ et causalitatis prædeterminationem jam fecisse supponat? Aut denique quomodo illa duo non involvunt repugnantiam, inchoare prædeterminationem præsupposita prædeterminatione? Nam quod præsupponitur in voluntate ante inchoationem ejus, nullo modo potest inchoari ab ipsa, præsertim cum, juxta hos auctores, ipsa prædeterminatio Dei sit principium omnis actionis voluntatis et omnis inchoationis ejus. Denique, ut evolvamur ea quæ tam involute sunt dicta, distinguamus prædeterminationem in actu primo de qua tractamus, a determinatione in actu secundo. Priorem enim facit Deus solus juxta dictam sententiam, et illam non potest inchoare voluntas; illa vero supposita, potest voluntas inchoare determinationem in actu secundo, quæ nullo modo potest dici prædeterminatio, quia non solum non præcedit priorem prædeterminationem, verum etiam nec concursum simultaneum Dei. Neque etiam ratione hujus inchoationis determinationis in actu secundo potest dici voluntas inchoare prædeterminationem natura antecedentem, cum nullo modo sit causa illius, sed effectus, ac proinde nec ratione ejusdem determinationis vel inchoationis, potest dici voluntas habere

in potestate sua prædeterminationem a Deo præstandam, cum illam expectare debeat, ut inchoare suam actionem possit. Quæ quidem omnia non animo contradicendi a me dicuntur, sed ut res, si fieri possit, intelligatur; quoniam a multis annis hac opprimor difficultate, et summo affectu intelligendi vel inveniendi aliquem illius exitum, hos et alios auctores evolvi, et eorum omnia responsa meditatus sum, nihilque inveni quod vel apparenter aut verisimiliter repugnantiam illam mihi componeret, et ideo non timui molestus esse lectori, omnes prædictos dicendi modos enumerando; et si quis alius superest vel excogitari potest, in sequenti capite illum attingemus; nulla enim diligentia supervacanea censenda est, quia ex hoc puncto magna ex parte verum iudicium præsentis controversiæ pendet, et in illo gravissima dogmata fidei concutiuntur, quæ non solum inconcussa retinere, sed etiam pro viribus explicare, et eorum rationem reddere tenemur.

CAPUT XIII.

OBJECTIONIBUS CONTRA DISCURSUM FACTUM SATISFIT.

1. Solent nobis objici instantiæ quædam quibus vis rationis factæ enervari videtur. Nam electio seu prædestinatio ita est ad salutem necessaria, ut sine illa comparari non possit, et illa non est in manu hominis, sed ex sola voluntate Dei pendet, et nihilominus habet homo auxilium sufficiens quo simpliciter potest salvari. Idem argumentum sumitur ex prædestinatione singulorum actuum supernaturalium, nam sine illa esse non possunt, et nihilominus homo est liber, et habet auxilium sufficiens ad actus a Deo non prædefinitos faciendos, cum tamen talis præfinitio in potestate hominis non sit; item vocatio congrua est necessaria ad supernaturalem actum, ita ut sine illa nunquam fiat, et talis est ut non sit in potestate hominis; non est enim (ut Augustinus dixit) in potestate nostra ut his vel illis visis tangamur, et nihilominus qui non congruenter vocantur, sufficienter vocantur, ut absolute possint venire si velint, teste Augustino, quæst. 2 ad Simplician., et quæst. 68 ex 83; ergo. Item, qui de facto non convertuntur non habent in tempore auxilium efficax ad conversionem; ergo Deus ab æterno decrevit non dare illis auxilium efficax; ergo ex decreto absoluto Dei, carent aliquo auxilio ne-

cessario ad conversionem, et nihilominus habent auxilium sufficiens, et simpliciter possunt converti; ergo illa consecutio non est formalis, nec habet majorem efficaciam in auxilio prædeterminante quam in his omnibus. Nam in his omnibus necesse est distinguere inter necessarium ad agendum, et ad potestatem agendi, ut, priori deficiente et negato, possit subsistere secundum; ergo idem in prædeterminante auxilio locum habet.

2. *Solvuntur objectiones.*—Ad hæc primum in generali dicimus exempla non esse de auxilio aliquo natura sua necessario ad operationem, et ideo non esse similia, quod in sequentibus latius per singula capita explicandum erit; nunc autem breviter singula perstringemus, ne lector dubius vel suspensus maneat. Electio igitur, prædestinatio et præfinitio non sunt auxilia, ut in tertio prolegomeno dixi, sed sunt actus immanentes in Deo, quos necesse non est per se et immediate esse principia operationum; et ideo licet admittamus illos fuisse in Deo ex parte ipsius ad meliorem providentiæ modum necessarios, nihilominus possunt homini dari sufficientia auxilia ad salutem, non solum remota, sed etiam proxima. Eo vel maxime quod etiam illi actus non sunt in Deo sine aliquo ordine ad futurum usum libertatis, cum auxilio concomitante gratiæ, prius prævisum a Deo per scientiam saltem conditionatam, ut in primo et secundo prolegomeno tactum est, et in sequentibus sæpius dicitur. Qui ordo non est contra gratuitam electionem aut prædestinationem, nec contra voluntariam prædefinitionem, quia non est habitudo ad illum usum libertatis futurum, tanquam ad causam seu rationem illorum actuum, sed tanquam ad effectum, mediis auxiliis congruentibus, quæ usum libertatis non impediunt, sed dirigant.

3. *Respondetur ad tertium, de vocatione congrua.*—Unde ad tertium, de vocatione congrua, dicimus imprimis illam esse necessariam non ex natura rei, sed supposita præscientia futuri eventus sub conditione, et ideo de illa recte dici esse necessariam ad actionem, non ad potestatem, quia nec ad actionem necessaria est per se, sed supposita tali scientia. Deinde dicimus in vocatione congrua duo esse distinguenda, scilicet, auxilium quod est principium actus, et congruitatem ad futurum consensum; ratione primi dat potestatem agendi, et in illo constitit sufficientia quæ potest esse æqualis in auxilio non congruo; congruitas vero non auget virtutem auxilii, ut infra os-

tendetur, sed est necessaria ad infallibilitatem effectus, et ideo sine illa potest optime dari auxilium sufficiens. Unde tandem dicitur in potestate hominis sufficienter vocati esse facere ut vocatio ejus congrua sit, et ideo, licet de facto illi non sit congrua, illi imputari, quia auxilium sufficiens habuit. Unde est illud Augustini, quæst. 2 ad Simplician: *Noluit Esau, et non cucurrit; nam, si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobis fieret*, fuit ergo in potestate Esau aliquid, quod si faceret, vocatio illa congrua fuisset. Et ad idem pertinet quod, dicta quæst. 68 ex 83, de vocatis ad cenam dicit: *Nec omnes illi qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur, ideoque nec illi debent sibi retribuere quod venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate.* Ergo in eadem voluntate erat facere aliquid quo vocatio in eis esset congrua, non fuit tamen in voluntate eorum facere ut prædeterminarentur.

4. *Responsio ad ultimam instantiam.*—Et hinc etiam facilis est responsio ad ultimam instantiam, nam is qui post sufficientem vocationem non consentit seu operatur, non caret aliquo principio supernaturali ad operationem, sed tantum concursu simultaneo, cujus carentia non est ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrii, nam Deus ex se paratus est, et offert illum concursum homini vocato; ipse autem homo non vult influxum ex parte liberi arbitrii necessarium adhibere, et ideo et actuali concursu et operatione caret, quod in auxilio prædeterminante locum non habet, ut satis probatum est. Non ergo recte existimant alii auctores eandem esse difficultatem de auxilio simultaneo in operatione imbibito, et de prædeterminatione, cum differentia sit notissima; nam auxilium simultaneum non fit sine cooperatione liberi arbitrii, et ideo potest impediri per voluntatem hominis libere non adhibentis suam concausationem, ut sic dicam; prædeterminatio autem est a solo Deo, et præcedit ordine naturæ et causalitatis omnem influxum liberi arbitrii, quia nec illius præparationem seu dispositionem, nec concausationem requirit, imo est causa influxus ejus, et ideo non habet unde sit in potestate liberi arbitrii.

5. *Instantia.*—*Respondetur.*—Instat vero Ledesma, quia etiam auxilium physicum in tempore imbibitum in ipsa operatione est causa

effectiva ipsius operationis; ergo est prius natura quam illa et prævium ad illam. Et e contrario etiam auxilium prædeterminans tenet se ex parte actus, et non ex parte principii; ergo est eadem difficultas. Respondetur utramque partem antecedentis falsam esse, et contra dicta ejusdem argumentantis in aliis locis, nam auxilium imbibitum in ipsa actione non potest esse causa actionis voluntatis, cum sit idem indivisibiliter cum ipsa: unde quidam ejusdem ordinis Theologus, et prædeterminationis defensor, dixit, non obstante subordinatione ad causam primam, simul natura attingi effectum et actionem a causa prima et secunda. Ridiculumque est asserere quod Deus prius natura faciat meam visionem quam ego, aut quod prius natura faciat meum consensum quam mea voluntas, esto a voluntate non fiat nisi cum subordinatione ad primam causam. De auxilio autem prædeterminante, si detur, satis per se patet esse omnino prius causalitate et natura, supraque de concursu prævio satis ostensum est præcedere per modum principii vel complementi ejus, quod multo est evidentius in auxilio prædeterminante, quod non tantum ponitur ob generalem concursum, sed ut det vires voluntati, ut declaratum est.

CAPUT XIV.

UTRUM POSSIBILE SIT AUXILIUM EFFICAX PHYSICE PRÆDETERMINANS VOLUNTATEM IN ACTU PRIMO, SALVO LIBERO USU EJUSDEM VOLUNTATIS IN EODEM ACTU SECUNDO, AC SUBINDE AN LIBERTAS QUOAD EXERCITIUM IN ACTU VOLUNTATIS SIMUL POSSIT CUM AUXILIO PHYSICE ET IN ACTU PRIMO PRÆDETERMINANTE VOLUNTATEM CONCORDARI.

1. Nonnulli ex Theologis qui negant auxilium prædeterminans in actu primo esse necessarium ad omnia opera pietatis, licet consequenter negent in illo consistere adæquate auxilium efficax, nihilominus fatentur interdum dare Deum auxilium efficax per hunc modum prædeterminationis, quia est consentaneus omnipotentiae Dei et efficaciae divinæ voluntatis, et non repugnat aperte libertati. Primo, quia illa motio tantum inducet necessitatem in sensu composito, quæ non repugnat libertati. Secundo, quia Deus sapientia sua infinita novit unamquamque causam secundam movere fortiter et suaviter; fortiter, ut efficienter faciat illam facere, et suaviter, ut modo illi consentaneo illam operari faciat, ac subinde libere si libera sit, licet nos fortasse